

ritandi habebat, ^a fecundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. igitur futura voluens non aliud reperit, ^b quàm vt hostem syluis coerceret, donec faucij, quantumque grauioris agminis, anteirent. nam medio montium, & paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, vndeicesima in læuum, primani ducendum ad agmen, vicefimanus aduersum secuturos. Nox per diuersa inquires, cum barbari festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent: apud Romanos inualidi ignes, interruptæ voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentorijs, infomnes magis, quàm peruigiles: ducentemque ^c terruit dira quies. nam Quintilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum cernere & audire visus est, velut ^d vocantem; non tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse. Cœpta luce missæ in latera legiones, ^e metu an contumacia locum deseruere, capto properè campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursum, statim prorupit: sed vt hæseret cœno, fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, vtque tali in tempore, sibi quisque properus, & lentæ aduersum imperia aures, irrumpere Germanos iubet, clamitans, en Varus, & eodem iterum fato victæ legiones. Simul hæc, & cū delectis scindit agmen, equisque maximè vulnera ingerit. Illi sanguine suo, & lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus, disijcere obuios, proterere iacentes: plurimus circa aquilas labor, quæ neque aduersum ferri ingruentia tela, neque ^f figi limosa humo poterant. Cæcinna dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumueniebatur, nî prima legio sese opposuisset. Iuuit hostium auiditas, omiſsa cede, ^g prædam sectan-

1. Sic lib. 1. hist. prosperarum, a luce fatumque rerum socios.

2. 5. Virg. li. 4. Aeneid. de Didone. Hinc exaudiri voces & verba vocantis via viri. Nox cum terras obscura teneret.

3. Aquila aurea in sacello peraxiguo locata, longissime affixa hæste, cuius pars inferior peracuta est ita vt possit in terram defigi, gestabatur in exercitu, vt autor est Dio, lib. 37.

4. Sicli. 4. hist. sed obstitit vincentibus prauid inter ipsos certantem, hoste omnino, spolia confectandi. & lib. quinto, fiam illic victoriam Germanis obtinisse, dum omnis telis præda manus impediunt.

OBSERVATIONES.

- a Qui diu militarunt, ac secundarum, & ambiguarum rerum sunt scientes, etiam in rebus planè aduersis, maximisque periculis manent interriti.
- b Cum propter iniquitatem locorum ab hoste urgemur, quæ exitus inde patet, eà sunt præmittenda impedimenta, & quantum grauioris agminis ad pugnam inualidum est: & interim hostis aut eludi, aut vi, quibus in locis est, coerceri debet.
- c Non semper qui non dormit, vigilat: aliud quippe est, esse infomnem, aliud peruigilem. Vt vigilis desideratur animus, diligentia, & studium vigilandi, vt quò tendis, peruenias: quæ si absunt, non vigilas, sed non dormis.
- d Quæ secundum quietem, tempore difficillimo, visa sunt, ea lætitiæ, aut terrorem adferunt, i. nocturni visus omen futurorum accipiuntur.
- e Quominus miles dicto imperatoris obtemperet, duæ solent esse cause, metus, aut contumacia, metus aut castigatione aut horatu aufertur: contumacia supplicio vindicari debet.
- f Signa metus, ac terroris in hoste hæc sunt, confusio, & obliuio disciplinæ militaris. hæc simulatque deprehenduntur, in eum inuadere optimum est.
- g Multi dum prædam auidè sectantur, sædè victoriam amittunt.